



mit Widmung!
DISPUTATIO JURIDICA
DE
USU FORENSI
LIB. XV. & XVI. DIGESTOR.

1708, 28^b
QVAM

ANNUENTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO *13*
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB, CETERA,
PRAESIDE

DN. SAMUELE STRYKIO, JCTO,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS.
CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE PRIMARIO,
ET FACULTATIS JURIDICAE
ORDINARIO,

20
IN AUDITORIO MAJORI

D. MART. A. O. R. MDCC IX;

Publicae Eruditorum disquisitioni submittit

CAROLUS FRIDERICUS HAHN, *107.*
SERVESTA-ANHALTIN.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DN. CAROLO
WILHELMO,

ET

DN. JOANNI AU-
GUSTO,

PRINCIPIBUS ANHALTINIS, DUCI-
BUS SAXONIAE, ANGRIAE ET WESTPHALIAE,
COMITIBUS ASCANIAE, DOMINIS SERVE-
STAE, BERNBURGI, JEVERAE ET
KNIPHUSII, &c.

~~DOMINIS SUI~~ DOMINIS SUI CLEMENTISSIMIS

Hanc Disputationem

Cum omnigenæ felicitatis voto devotissimo
consecrat,

et mente humillima offert

subjectissimus
cliens

CAROLUS FRIDERICUS HAHN.

☉ (3) ☉
PANDECTARUM
 LIBER XV.
 TIT. I.
DE PECULIO.

§. I.



U^t Prætores Romanorum tam varia de peculiis edixerint, & in Edictis his Prætoriiis enodandis tam prolixo fuerint Juriconsulti, hæc potissima ratio est: Romani multitudine servorum superbiebant, & inde amplitudinem patrimonii ac familiarum decus quam maxime solebant æstimare. Ne vero otiosa servorum corpora alerent, aut his tanquam bestiis uterentur, a quibus alias parum distare credebant servos; majori prudentia familiarum suarum commoda promovere nitentur; hinc operam dabant, ut non tam multos, quam probe educatos, artificii manualis instructos, præsertim vero mercaturæ, imo & litteraturæ peritos haberent servos, quorum opera postmodum in acquæstu vel œconomico vel negotiatorio eo feliciter uterentur, ut adeo, si non ratione conditionis, tamen ratione diversorum officiorum unus servorum altero dignior in ædibus Domini fuerit, de quo pluribus egit Petrus Faber in *Semestrib. lib. 2. p. 155.* Adhibebant enim servos pædagogos liberorum *L. 35. ff. de Fideicommiss. libertat.* Præponebant illos bonis & negotiis suis administrandis §. 5. *Instit. Quib.*

De peculiis servorum quare Romani Icti tam prolixè egerint?

Servorum varia officia.

Quib. manumit. lic. Erant & servi dispensatores, qui familiae rationes dispensabant *L. 31. & 62. ff. de Solut. L. 42. ff. de Manumiss. Testam.* Ut ergo hi eo diligentius res domini curarent, indulgebatur ipsis plerumq; ut certam pecuniae quantitatem separatam a rationibus dominicis haberent, & pro lubitu cum hac, ad patrisfam. tamen utilitatem disponerent. Et huc pertinet descriptio peculii, quod sit pusilla pecunia quam servus Domini permisso separatam a rationibus dominicis habet *L. 5. in fin. ff. b. t.* Servus enim, qui reliqua Domini bona dispensabat & rationes administrationis reddere tenebatur, partem illam, quae in peculio erat, separatis rationibus computabat.

Servorum peculium I odie nullum est.

§. II. Hujus itaque generis peculium servis commissum hodie vix dabitur, servili hominum conditione sublata: Ut ut enim a Barbaris captos servorum more tractemus, tanta tamen illorum apud nos fiducia non est, ut illis dispensationem nostrorum negotiorum vel etiam separatam partis bonorum administrationem simus commissuri. Servos autem conductos quod atinet, etiam si hos interdum negotiis nostris praeficiamus, cum tamen liberi homines sint, jura peculiorum his applicari nequeunt, sed ad alias actiones ordinarias recurrendum erit. Quoad filios superesse posset praxis hujus tituli, si circumstantiae ad peculium hoc profectitium constituendum concurrerent; videlicet, non ut filius, cui pater curam negotiationis commisit, & ita dispensatorem pecuniarum suarum constituit, de facto pecuniam quandam in negotiationem separatam impendat, sic enim nullum adesset vinculum, quo pater ex facto filii conveniri posset; sed requiritur, ut pater ipse separaverit a suis rationibus, quantum filius, separatae negotiatio-

Quid requiratur ad peculium filii familiae

tionem impendere deberet; sive ut pater separaret suam a filii ratione *L. 4. pr. ff. b.* quod tamen etiam tacite fieri poterit, si patitur hanc separatam negotiationem *L. 7. §. 1. in fin. & §. 2. ff. b. t.* Dum ergo pater hanc separatam negotiationem filio permittit, eatenus fidem suam tacite interposuisse censetur de præstando Creditoribus, quod peculii nomine filius debere cœpit, sine distinctione, qualiscunque contractus ille fuerit; nam ex omni contractu hæc actio nascitur. *L. 19. pr. vers. quæ questio ff. b. t.* & permissio ad contrahendum sub concessione peculii generaliter latitat *L. 46. ff. b. t.* Actio enim de peculio non specialem suam substantiam habet, sed est tantum qualitas adjectitia, qua actio ex illo contractu principaliter oriunda apta redditur, ut contra patrem extendi possit; nam filius directo patrem civiliter obligare nequit. *L. 8. ff. de Rescind. Vendit. L. 8. §. ult. ff. de Acceptil.* Hinc notum est, dari actionem *venditi de peculio; depositi de peculio; Commodati de peculio &c.* Eaque propter qualis est actio principalis, scilicet, vel bonæ fidei vel stricti juris, talis etiam est de peculio.

§. III. Eatenus itaque, supposita peculii concessione, ex facto filii nascitur actio hæc contra patrem: Verum cum in *L. 44. ff. b. t.* dicatur: Creditorem hoc casu duos nancisci debitores; *filium in solidum, & patrem duntaxat de peculio*: hinc otiose, ut puto, disquirunt Dd. an actio de peculio, quæ adversus patrem datur, specie differat ab ea, qua tenetur filius? Ad quod respondet Vinnius in *Comment. ad tit. Instit. de Act. §. 11. n. 3.* numero quidem hæc actiones differre, sed non specie, quia uti dictum, actio de peculio non est propria actio, sed principalis actionis adjectio. Sensus enim questionis, eo dirigendus, an finita actione de peculio contra

An diverse hic nascantur actiones contra patrem & filium?

patrem, scilicet quod excusso peculio nihil amplius superfit, adhuc contra filium actio salva sit, an vero una per alteram consumta? Posterius utique negandum, *arg. L. 45. ff. b. t.* & ita in effectu remanebunt distinctæ

An hodie excusso peculio filius infolium maneat obligatus?

actiones. Verum si hoc jam ad usum fori nostri applicandum, merito dubitatur, an excusso peculio filius adhuc durante patria potestate conveniri possit? Affirmativam quidem plerique probabunt: Sed si supponam, uti supponendum est, Creditorem scivisse, filium non alia bona, quam peculium profectitium habere, & hujus intuitu ad promovendam patris utilitatem filium contraxisse, integrumque peculium creditoribus oblatum, æri alieno non satisfecisse, eaque propter patrem à Creditoribus liberari, si peculium non sufficiat: quo æquitatis prætextu convenirent filium, qui nec commodum ex negotio sperare potuit, nec actu quicquam inde percepit. Quicquid enim filius in hoc peculio acquirit mox ad patrem pertinet, adeo ut ne momento quidem in persona filii subsistat *L. 79. ff. de Acquirend. hered.* Ferd. Arias de Mesa *lib. 1. Resol. c. 33. n. 4.* Subtilis enim illa juris Romani ratio, *quod filius contraxerit, & obligationis capax fuerit*, cum tamen nec in sui commodum contraxerit, nec fidem suam interposuerit, vix in foris nostris tantæ efficacæ est, ut inde filius condemnari debeat. Confer. quæ notata superius ad tit. *quod cum eo, qui in aliena potest.*

An sola possessio rerum, quæ ad peculium profectitium referri solent, locum faciunt huic actioni?

§. IV. Patet autem ex jam dictis, cum etiam rara sint filiorum peculia, quippe si separatim negotiari incipiant, plerumque vel separatam instituunt oconomiam vel etiam a patre coram judicio sui juris declarantur, raram quoque horum intuitu de peculio actionem esse. Cavendum quoque hic, quoad applicationem actionis

dc

de peculio, ne mox, ubi apud filium res quædam deprehenduntur, quæ ad peculium profectitium referri solent, locus concedatur actioni de peculio E. G. Donavit quis filio amici sui 100. thaleros, qui procul dubio ad peculium profectitium pertinent. §. 1. *Instit. per quas person. cuique acquirat.* modo illa donatio principaliter intuitu patris facta sit. Franzk. *lib. 2. Resol. 27. n. 9.* Quod si ergo talis filius hanc pecuniam custodiæ paternæ reliquerit, & in alio quodam loco æs alienum 150. thalerorū contraxerit, quæritur, an pater actione de peculio conveniri possit? Et respondendum putarem quod non, quia deficit ratio patrem obligandi, scilicet ut ipse filio pecuniam ad negotiandum dederit, & ita filius hanc permissu patris impenderit, quod ad præsentem casum applicari nequit: Filius enim hoc peculium pro lubitu administrare non potest, nisi quatenus pater ipsi permittit, *L. 4. §. 2. & L. 49. ff. h. t.* Nam pater libere hoc peculium filio adimere, & de eodem disponere potest *L. 46. de Doli mal. except.*

§. V. An autem hodie, quæ filio familias ab extraneo donata sunt, utut intuitu patris, filio a patre auferri, & in usus proprios converti possint, dubitare licet? Ratio dubitandi in hoc consistit, an Germani unquam rigidum hoc patriæ potestatis exercitium vel agnoverint vel receperint, ut pater filio ab amicis donata, sine causa filio auferre, & in alios liberos transferre possit. Jus Romanum certum est §. 1. *Instit. Per quas person. nob. acquir.* Sed in foro exemplum desidero, ubi pro hoc rigore paterno pronunciatum: Nec vestigium extat in LLbus Germanicis, quod huic sententiæ faveat. Sicut & æqualis iniquitas ejus asserti est, quod si filius fam. opificio adiectus, operis suis in exteris Provinciis quicquam acquisiverit

An pater donata filio ab extraneo auferre, & in usus suos conferre possit?

§ PANDECTAR. LIB. XV. TIT. I.

verit, hujus usum fructum, postquam in patriam reversus, pater sibi in Germania vindicare possit. Verum quid de donatis à patre, an hæc à patre filio pro lubitu auferri possint? Ubi præjudicialis quæstio enodanda: An scilicet hodie donatio à patre filio in potestate constituto facta subsistat? Ratio juris Romani est, quod patris & filii sit una persona, & nemo sibi ipsi donare possit: Quicquid autem pater filiosam, donat, sibi donasse censetur. Sane si practicos Doctores consulamus, donationem hanc nec in foro valere dicunt, nisi morte vel juramento confirmata sit. Gail. lib. 2. obs. 38. n. 9. Trentacinq. l. 3. tit. de Donat. res. 8. n. 5. Brunnem. ad cit. L. 11. C. de donat. in f. Mynsing. cent. 2. obs. 33. Itane ergo juramentum hujus efficaciz erit, ut per hoc facta personarum unitas dividatur? Cur non eandem efficaciam hodie tribuimus paternæ donationi, si seriam & constantem voluntatem aliter declaret, scil. donationem hanc filio illibatam manere, nec revocationi obnoxiam esse debere, supposita tamen conditione tacita: si ingrati crimen non supervenerit.

Quid si ipse
pater donaverit?

Actio de peculio ad solum profectitium pertinet.

§. VI. Ad alias ergo peculiorum species hæc actio non pertinet: Nam in peculio castrensi & quasi castrensi filiosam. pro patrefam. habetur, L. 2. § 3. ff. ad SCrum Maced. hinc ipse ex suo contractu actione ordinaria, non pater de peculio tenetur. Idem dicendum de peculio adventitio extraordinario, quod filius pariter pleno jure tenet, & de eo libere disponit Nov. 117. c. 1. In adventitio ordinario quidem pater legitimus administrator & usufructuarius est, L. 1. C. de Bon. matern. & L. 6. §. 2. ff. de bon. que liber. & hinc judicium etiam hujus peculii nomine suscipere tenetur, sive agat, sive conveniatur d. L. 1. C. de bon. mater. L. fin. § 3. C. de Bon. que liber. imo ex ipsis fru-

fructibus litis sumtus præstare tenetur *d. L. fin. §. 3. in fin. Garf. de Expens. t. 11. n. 5.* Verum hoc restringen- Quando ex contractu filii depeculio ad-ventitio agi possit.
 dum est ad actiones, quæ ipsum hoc peculium afficiunt; Non quæ ex novis filii contractibus oriuntur. Nec enim in potestate filii est, suo facto vel contractu (cum ipse in bonis adventitiis nudus tantum sit proprietarius) patris usufructuarii jus imminuere: Hinc nec actio de peculio locum habet, cum hic nihil filio a patre ad negociandum sit commissum. Imo etiamsi ipse filius directa actione ex suo contractu conveniatur, quod fieri posse non nego ob *L. 39. ff. de O. & A.* attamen executio invito patre in bona materna fieri nequit, ne huic diminuatur usufructus. Hoc tamen non negarem; Si pater ex liberalitate partem bonorum maternorum filio concedat ad separatam negotiationem, hoc respectum peculii profectitii habere posse, si non ratione proprietatis, certe ratione usufructus. Hinc si pater bona hæc materna filio iterum adimat, qui intuitu negotiationis susceptæ æs alienum contraxit, eatenus de peculio conveniri possit.

§. VII. Antequam autem hanc materiam dimit- De usufructu paterno in bonis adventitiis.
 tam, non omittenda est famosa illa inter praxin & usum fori differentia; quod scilicet patri, non matri, in bonis adventitiis liberorum competat usufructus, qui tamdiu durat, quamdiu pater in vivis est. *L. fin. §. 5. ibi: Donec parentes vivunt. C. de bon. qua. liber.* quamvis filius patri operas præstiterit domesticas, vel alias suis laboribus extra ædes patris sibi victum quarat, cum hic usufructus patri non propter alimenta, sed ob jus potestatis debeatur. *Carpz. P. 2. C. 10. def. 7.* Imo nec rationes liberis hoc nomine tenetur reddere, nec inventarium conficere, cum sinistra suspicio de mala administratione non cadat in patrem *L. ult. §. 4. in fin. C. de bon. qua. liber. Carpz.*

P. 2. C. 11. def. 5. n. 1. Montic. Tr. de Inventar. n. 42. Morquech. de Divis. bonor. c. 1. n. 60. cui praxis Camerae suffragatur; Mynfinger Cent. 2. obs. 93. hoc ipso tamen non liberatur à privata bonorum consignatione, ut filio fidem facere possit, quantum mater reliquit. Mynsing. d. obs. 93. n. 7. & 8. sicut nec pater ad secunda vota transiens inventarium aut juratam specificationem declinare potest. Escobar de Ratiocin. c. 9. n. 12. Mevius ad jus Lubec. P. 2. tit. 2. art. 21. n. 10. & seq.

An matri tutelici hodie competat ususfructus?

Quid in Saxonia?

§. VIII. Sed an matri idem jus ususfructus competat in bonis liberorum minorennium, si horum tutelam gerat, illisque de alimentis prospiciat, praxis ubique locorum non est uniformis? Sane in Saxonia non leves olim fuerunt lites, utrum patri adhuc hodie ususfructus competat vi patriæ potestatis, an propter reverentiam & onus educationis? Cujus controversiæ interesse insigne in eo latitat, quod priori casu soli patri competat ususfructus, quod contra Richterum *P. 1. dec. 18. n. 7.* defendit Carpz. *P. 2. C. 10. def. 7. & lib. 6. Resp. 70. per tot.* Posteriori vero matri quoque idem tribuendus sit, quod contra Carpzovium plenius evincere conatus est Richter *cit. decis.* Hicse fundat in consuetudine antiquissima Saxonix, & hunc in finem Doctores de ea attestantes adducit; præterea fundamentum aliquod quarit in *jure Provinc. Saxon. lib. 1. art. 11.* Verum textus allegatus plane nihil de hoc usufructu disponit, & consuetudo Saxonica non ita notoria esse videtur, ut eidem tuto fidere liceat; nam Carpzovius contrariam consuetudinem allegat: Et iam olim 1636. Mens. Maj. ita responderunt Schebini Lipsienses. *Ob nun wohl etliche der Sächsis. Rechts Gelehrten dieser Meinung seynd/ das den Mütter in Vormundschaft ihrer Kinder von den Gütern die Frucht*

Fruchtnießung zustehet/ dieweil aber dennoch nach gemeinen Kayserlichen Rechten die Mutter oder Groß-Mutter sich des usufructus in der unmündigen Kinder Gütern nicht zuerfreuen/ und gleichwohl an keinen Ort in Sächsischen Rechten dasselbe ausdrücklich aufgehoben/ nach einanders verordnet/ oder durch beständige erweisliche Gewohnheit eingeführet/ derowegen hierinnen a dispositione Juris Communis/ bevoorans/ weil dadurch der Unmündigen bestes gesucht und befördert wird/ auch auf Sächsl. Boden nicht abzuweichen/ zumahl weil den Vätern der usufructus in der Kinder Gütern alleine Jure patriæ potestatis zu stehet/ welches Recht bey der Mutter und Groß-Mutter in Vormundschaft ihres Encklins sich in dessen Gütern der Fruchtnießung anzumaßen nicht befügt. Hinc etiam in Electoratu Saxonix sententia matri usufructum assignans rejecta est per *Decis. Elect. 62.* & jus commune confirmatum. Vid. Philipp. *Obs. 1. ad d. dec. 62. n. 32.*

§. IX. Hac autem sententia in foro præsupposita sequitur exinde, matrem tutricem obligari ad rationes suæ administrationis reddendas & per consequens etiam ad Inventarium vel specificationem juratam, sicut hoc in Saxonia expeditum est Carpz. *P. 3. C. 33. def. 1. & seqq. & lib. 6. Resp. 69.* Philipp. *ad decis. Sax. 21. obs. 4.* Cont. Brunnem. *Conf. 48. n. 14.* Quamvis si mater ad secunda vota non transeat, probos liberos deceat hanc reverentiam exhibere matri, ut ejus simplici specificationi fidem habeant, nec juramentum ab illa exigant. Extra Germaniam ICI distingunt an mortuo patre mater bona liberorum administraverit ex pietate materna; An vero jure susceptæ tutela: Priori casu illam ad inventarium conficiendum non teneri asserunt:

ferunt: Sed tantum casu posteriori. Hippolitus Riminald, *Resp.* 79. n. 44. Chassanæus *ad Consuet. Burgund.* p. 378. n. 23. & *seqq.* quæ sententia non reprobanda, quia juris communis est, omnem tutorem teneri ad inventarium *L. Tutor qui repertorium* 7. pr. ff. de *Admission. Tut.*

Quid juris matri competat de jure Lubecensi.

§. X. Ceterum ubi communio bonorum inter matrem & liberos obtinet, aliud circa usumfructum matris statuendum est. Sic de jure Lubecensi obtinere tradit Mev. *ad jus Lub.* p. 2. l. 2. art. 8. quod scilicet viduæ in statu viduitatis persistenti, quamdiu liberi nondum separati sunt, competat omnium bonorum ususfructus, quæ deducta liberorum legitima super sunt. quod *n. 8.* recte deducit ex communiione omnium bonorum, quæ durante matrimonio fuit inter conjuges, quæ non expirat morte mariti, sed durat usque ad separationem liberorum, quod & jure Hamburgensi cautum legitur *lib. 3. tit. 3. art. 3. 5.*

Quid si liberi non amplius vivant de parte patris.

§. XI. Quamdiu itaque patria potestas durat, tamdiu quoque ususfructus continuatur, licet vel maxime liberi de pane ipsius non vivant, sed aliunde habeant alimenta de quo jam ex parte supra dictum est. §. VII. Carpz, P. 2. C. 10. Def. 7. Richter P. 1. Decis. 18. n. 3. ubi hoc limitat, nisi pater liberis alimenta recuset, ex hypothesi, quasi parentibus ususfructus competat ob onus alendi, quod jam rejectum. Neque obstat, quod privandus sit commodo, qui recusat incommodum; nam non adest hic necessaria connexio inter usum fructum & onus alendi, & pater si inique recusat alimenta, imploratione officii judicis vel aliis remediis recte cogi potest, Esbach in Carpzov. *cit.* Def. 7. Et cum nec secundis nuptiis extinguatur patria potestas

stas, durat quoque adhuc usufructus, Richter *cit. l. n. 4.* ubi præjudicium adducit; imo si vel maxime filia patri operas ancillares præstiterint in promovenda œconomia, tamen ea propter usumfructum bonorum suorum patri auferre non possunt, Carpzov. *P. 2. C. 10. Def. 2.* Brunnem. *ad L. 6. C. de bon. que lib.* quia liberi ad ejusmodi operas præstandas parentibus obligantur, quod declarari potest responso adducto *in tract. de success. ab intest. Diss. n. c. 4. num. 21.*

§. XII. Quod si liberi emancipati sint, de jure ^{Quid si liberi emancipentur.} Justiniano quidem pater retinere poterat dimidiam partem usufructus §. 2. *l. per quas pers. cuique acquir. l. 6. §. 3. C. de bon. que lib.* Verum id moribus plerumque locorum haud receptum est. Nam jure Saxonico statim quando liberi separatam œconomiam instituunt, tenetur pater eis restituere omnia bona, in quibus usufructum antea habuit, Landst. *lib. 1. art. 11.* Carpzov. *P. 2. C. 10. Def. 5.* Richt. *P. 1. decis. 18. n. 7.* quod & in Marchia Brandenburgica juris est, Brunne-
mann. *ad L. 4. in f. C. de bon. que lib.* & in genere in omnibus illis locis, ubi separatio hæc effectum emancipationis tacitæ habet. In filia vero sufficit vel solum matrimonium, adeoque bona adventitia eidem restituere debet, etiamsi illam adhuc exhibeat Carpz. *cit. l. Def. 6.* Berlichius *P. 2. concl. n. n. 61.*

§. XIII. Disputant vero an idem obtineat, si patria potestas per dignitatem fuerit soluta? quæ quæ-
stio si secundum jus civile examinanda est, sine dubio ^{Quid si per dignitatem soluta patria potestas?} neganda *ob L. f. C. commun. de success. l. 1. C. de bon. matern. l. 3. L. 4. l. f. C. de bon. que lib.* ubi indistincte patri usufructus afferitur sive manserint liberi in potestate sive non; nec temere hic adduci potest, quod

patri in præmium emancipationis expresse indultum, ubi patris consensus simul concurrat. Pinel, *ad L. 1. §. 1. C. de bon. matern. n. 42.* Lauterb. *Diss. de usufr. patern. tb. 40.* diss. Molina *de 7. & 7. disp. 232. n. 7.* Verum hodie quoque idem dicendum esse existimo, quod in emancipatione tacita juris est, cum in genere filii emancipati bona sua moribus nostris recipiant.

Administratio
patri compe-
tit.

§. XIV. Præterea ex jure ususfructus sequitur, quod competat patri legitima administratio bonorum adventitiorum *l. 6. §. 2. C. de bon. que lib.* neque ad hoc judicis confirmatione post *R. J. de 1577.* Bon den *Pupillen und minderjährigen* indiget, Lauterb. *Diss. de usufr. paterno §. 33.* quippe hic pater non considerandus est ut alius tutor, de quo in *dict. loc.* agitur, sed jure potestatis patri debetur administratio; Unde si vel maxime patri in testamento ademptus esset ususfructus, ramen adhuc ipsi administratio indulgenda per *L. f. C. de curat. furios.* Hartmanni Pistor, *lib. 4. qv. 11. n. 13.* Carpz. *P. 2. C. 10. def. 11.* nisi forsitan ex circumstantiis appareat, patri ob sinistram suspicionem ademptum esse usumfructum, tunc enim quoque ex eadem ratione eidem administratio adempta censetur, Brunnem. *ad Auth. excipitur C. de bon. que lib.* cum administratio quoque patri adimi testamento possit, *Nov. 117. C. 1.* Carpz. *cit. l. in f.* Imo si filius jam perfectæ ætatis sit, ipse libere tunc administrat bona *Nov. cit.* Quando vero pater administrat, & simul usum fructum habet, tutus est a redditione rationum *L. 6. §. 2. C. de bon. que lib.* nisi suspicio malæ administrationis subsit, quo casu etiam eidem potest auferri administratio Carpz. *cit. l. def. 9. n. 9.* dictum tamen jam superius est, patrem ad minimum teneri ad privatam consignationem bonorum ad-
venti-

ventitiorum quod variis præjudiciis illustrat Finckelthaus, *obs. 76. Richter. P. 1. Dec. 58. n. 26. Sand. lib. 2. t. 7. def. 2.*

§. XV. Quid si autem patre invito, filius pari-
 ter invitus ad nuptias cum imprægnata ineundas con-
 demnetur, an pater bona materna illi tanquam eman-
 cipato restituere teneatur? Casus qui in facto contigit,
 hic est: H. B. clandestina conversatione sibi amorem
 A. M. virginis parentibus honestis editæ conciliare co-
 natus fuit, eandemque cum in nimiam familiaritatem
 admissus fuisset, spe de matrimonio facta imprægnavit,
 Hoc facto pater stupratæ contra stupratorem ad con-
 summandum matrimonium egit, cui non tantum H.
 B. contradixit, imprægnationem negando, sed & pater
 ejus, se nunquam in hoc matrimonium consensurum,
 judicialiter contestatus fuit; & cum probationes hinc
 inde adductæ essent, A. M. ad consilium Facultatis Ju-
 ridicæ Rintelensis ad juramentum suppletorium de pro-
 missio sibi matrimonio admissa fuit. Contra quam sen-
 tentiam H. B. remedium supplicationis quidem inter-
 posuit, sed sententia prior confirmata fuit a ICtis Fran-
 cofurtensis. Hujus vero sententiæ executionem, cum
 H. B. violato arresto per fugam evitare vellet, publicis
 citationibus revocatus fuit, & cum in contumacia per-
 sisteret, tandem in judicio Principis pronunciatum fuit;
 Nachdem Befl. der an Ihn ergangenen Edictal citation
 keine Folge geleistet/so ist das der Klägerin zuerkante jura-
 mentum suppletorium numehy pro præstato zu halten/
 und vorbemeldte A. M. vor H. B. eheliche angevrante Frau
 zu declariren / wie denn besagtes Juramentum suppleto-
 rium hiemit pro præstato gehalten/und mehre berührte A.
 M. für des H. B. ehelich angevrante Frau Krafft dieses
 decla-

De nuptiis in-
 vito patre
 contractis, sed
 per senten-
 tiam probatis.

declararet *utrd. v. r. w.* Hæc sententia in rem judicatam transit, quæ simul exemplum nobis præbet, copulam sacerdotalem in contumaciam pro adhibita, hoc scil. effectu, ut jura legitimæ uxoris tam quoad alimenta, quam quoad successione[m] & delendam maculam præcedentem consequatur, reputari posse. Sententiæ huic confisa A. M. contra *declarati mariti* patrem actionem instituebat, partim ad alendam neptem ex filio fugitivo susceptam; partim ad extradenda sibi bona filii materna, unde ipsa vivere posset. Prius quod attinet, expediti juris est, avum teneri etiam ad alimenta nepotis spurii ex filio Vid. Carpz. *Jurisprud. Eccles. lib. 2. def. 243.* quamvis avus maternus adlit, qui alere possit. Carpz. *d. def. 243. n. 11.* Alia autem ratio est in filii concubina vel etiam uxore, ubi vinculum sanguinis ratione soceri cessat. Quodsi vero bona materna habeat filius absens, in hæc, sicuti sponsa in bona sponsi immisionem impetrare potest. Carpz. *d. lib. 2. def. 136.* ita idem declarata per sententiam uxori non denegandum. Neque obstat, quod pater hac ratione privetur usufructu, quem tamen filius suo facto vel delicto patri ejus nuptiis contradicenti imminuere nequit: Resp. Patris dissentium supplevit Princeps, quod facere posuit *arg. L. 19. ff. de Rit. nupt.* Cypræus *de Sponsal. c. 6. §. 4. n. 1.* & nuptiæ per sententiam pro legitimis declarata, quæ cum in rem judicatam transierit, in effectu pariter reputantur, quam si alias legitime matrimonium contractum; cujus consequens hoc est, ut pater teneatur ad bonorum maternorum restitutionem ipsi filio, vel hoc in fuga constituto, ejus declarata uxori, & ita in casu superius adducto responsum est a Colleg. Jurid. hujus Academiæ,

§. XVI.

§. XVI. Denique adhuc hic tangenda sunt Clericorum peculia, quæ jure canonico nota sunt *t. t. X. de peul. Cleric.* Nam sicuti jure Romano peculium dicitur, quod filius vel servus a rationibus Domini vel patris separatum habet, ita analogiam quandam Canonistæ statuerunt in bonis Clericorum, ut scilicet peculium dicatur, quod separatum habent a bonis Ecclesiæ, Engel in *Colleg. Jur. canon. cit. tit. n. 1.* Hoc duplex vulgo esse solet, *patrimoniale* quicquid Clerici acquisivere aliunde quam intuitu Ecclesiæ vel ex ejus bonis Ziegl. ad *Lancellott. lib. 2. tit. 28. §. 1. & quasi patrimoniale* quod ex bonis Ecclesiæ vel intuitu Ecclesiæ acquisitum. Linck ad *Decret. b. t. §. 4. B. Brunnem. de jure Ecclesiastico lib. 2. C. 10. §. 1.* Quamvis vero respectu fructuum multum intersit inter utrumque peculium, tamen judice Brunnemanno *cit. l. §. 7.* in nostris Ecclesiis illa nullum habent usum, cum nostri fructus perceptos ad suos heredes transmittant, adeoque de his nihil quicquam amplius addendum. Cæterum regulares Clerici, voto paupertatis adstricti, tale peculium plane non habent, quia qui monasterium ingrediuntur, se suaque bona Deo & monasterio dedicant *C. 7. C. 17. §. 3.* Hinc est quod Monachi hoc respectu servis æquiparari soleant, quod omnia acquirant Monasterio vel ordini, cui propter religionem addicti sunt; imo eatenus ad eos quoque applicant hanc actionem de peculio, quod ob æs alienum constatum, monasterium tantum teneatur peculiotenus, Christin. *Vol. 3. Dec. 34. n. 1. Zoel. in §. 10. 7. de action. n. 10. Schilt. Ex. 27. §. 90.*

Clericorum
peculia.

An ad Monachos hic titulus applicari possit.

C

TIT.

QUANDO DE PECULIO ACTIO ANNALIS EST.

§. I.

Ufus hujus tituli.

Quemadmodum prior actio de peculio rarissime moribus nostris occurrit, uti *tit. antec.* dictum, ita quoque idem dicendum esse existimo de hac annali actione, quæ adhuc in patrem vel Dominum competebat, soluta potestate; nisi itidem casus concessi peculii ad negotiandum occurrat, ubi filius vel mortuus, vel emancipatus, retento tamen a patre peculio. Quo casu enim Prætoriam actione experiendum, eo casu etiam tempora a Prætoribus præscripta etiam in foris nostris observanda, de quo dictum est superius *ad tit. ff. de LL.*
§. Quando itaque Groenevegen *ad h. tit.* dixit, hujus tituli hodie nullum esse usum, supponit, nulla amplius dari peculia.

§. II. Idem annale spatium quoque obtinebat in peculio castrensi, si filius intestatus mortuus erat, quia hoc pater jure patriæ potestatis occupabat *L. 17. pr. ff. de pecul. Castrens.* Sed cum hodie post *Novell. 118.* pater in hoc peculium tanquam heres succedat, perpetua actio contra eum dabitur.

TIT. III.

DE

IN REM VERSO.

§. I.

Ufus hujus actionis.

Hæc actio a Prætoribus ex æquitate inventa est, potissimum cum in finem, ut pater vel Dominus
ex

ex contractu filii vel Servi obligaretur, quatenus ex eo aliquid in ejus utilitatem versum est, ne alias fiat locupletior cum alterius jactura, adeoque idem fere fundamentum habet, quod actio negotiorum gestorum *L. 3. §. 2. b. tit. de quo postea §. 4. dicendum.*

§. II. Quamvis vero quoad servos hæc actio hodie cesset, respectu filiorum familias tamen utilis est; vel etiam secundum *§. 8. 7. quod cum eo qui in alieni potest.* directo cum patre agi potest ex contractu filii, ut tamen fundamentum obligandi, scilicet versio in rem patris doceatur *L. 3. §. 9. b. tit.* quæ alias ad effectum obligandi debitorem non est probanda, nisi in casibus, ubi cum minore, Ecclesia, vel civitate contractum, de quo pluribus supra actum *tit. de rebus credit.*

Obtinet etiam in filiofam.

§. III. Imo, de jure Romano ulterius extensa est hæc actio ad eum quoque casum, si cum libero homine contractum, & ex illo contractu aliquid in alterius utilitatem versum sit, veluti si Titii Procuratori vel negotiorum gestori, aut etiam infitori, ultra legem præpositionis pecunia credita, ut in Domini rem verteret, *L. 20. pr. l. f. b. t.* quod & hodie obtinere tradit Hahn *ad W. b. tit. in f. Oldendorp. d. 4. act. 7. p. 336. edit. Baillens.* ubi formulam actionis de in rem verso exhibet. Libelli autem fundamentum in eo collocandum quod actor centum crediderit amico euidam Rej, ex qua ille sexaginta in hujus utilitatem impendit; ideoque se perere, ut Reus ad hos sexaginta thaleros restituendos condemnnetur. Sic datur quoque hæc actio ex gesto uxoris contra maritum, si in ejus utilitatem contraxit, Lauterbaeh *in Colleg. b. t. §. ult. Oldendorp. cit. l. Brunnem. ad cit. l. f. b. n. 1. in f.* & si cum famulis nostris contractum, itidem ex gesto eorum, quate-

Extensio hujus actionis,

tenus in rem nostram versum est, datur actio contra Dominum, Oldendorp. *cit. loc. p. 336.*

An differat a negotiorum gestorum actione,

Quomodo differat ab actione negotiorum gestorum,

§. IV. De eo forsitan adhuc posset dubitari, an hodie sit quaedam differentia inter hanc actionem de in rem verso & negotiorum gestorum? In effectu nullam apparere differentiam contendit Schilter *Ex. 26. §. 93.* quod utrobique non eventus spectetur, sed utrum utiliter coeptum sit *l. 10. de negot. gest. l. 3. §. 7, 8. 10. h. Mascard. de probation. concl. 1166. n. 36. seqq.* Verum licet id facile concesserim, in utraque actione idem obligandi fundamentum occurrere, scil. quod alterius utilitas promota sit; quod & LL. Romanae agnovere *L. 3. §. 2, h, t.* in hoc tamen ab illa differt, quod actio negotiorum gestorum datur illi, qui ipse pecuniam in absentis negotia vertit, vel alia ratione ejus causam reddidit meliorem: Actio autem de in rem verso datur illi, qui ipse pecuniam in alterius utilitatem non impendit, sed filio vel servo credidit, ut ille in rem patris vel domini verteret. Unde apparet actionem de in rem verso non esse separatam quandam actionem, qualis est negotiorum gestorum; sed qualitatem tantum actioni ex negotio principaliter gesto a Pratore adjectam, ut inde constet, hanc non institui contra illum qui contraxit, sed contra illius dominum vel patrem, pariter sicuti supra quoad actionem de peculio diximus. Et hinc actio negotiorum gestorum semper est bonae fidei: Actio autem de in rem verso quandoque est stricti juris, secundum indolem contractus principalis. e. g. Si filio pecunia credita, & hac in rem patris versa sit datur actio mutui de in rem verso, quae sine dubio est stricti juris; & hinc usura hoc casu non debentur, quae tamen peti possunt in actione negotiorum gestorum

rum gestorum *L. 10. §. 5. ff. b. t.* Porro in actione negotiorum gestorum principaliter obligatur gestor, & secundario Dominus gestori ad indemnitatem; hic vero intenditur, principaliter obligari alterum, in cuius rem quid versum, imo de hoc fere unice hic agitur, adeo, ut si fundamentum hoc actionis probari non possit, reus absolvi debeat, vid. Eric. Maurit. *Conf. Cbilon. P. 1. conf. 26.*

§. V. Ceterum non sufficit pecuniam ad hoc creditam esse filio ut verteretur, sed actu ipso versa esse debet; unde versione non probata corrumpit hæc actio, quamvis filius hactenus pecuniam non male consumere, sed in patris utilitatem impendere solitus fuerit: Nec enim *credulitas creditoris patri obesse, vel caliditas filii ipsi nocere debet*, hinc in hac materia creditori ab Ulpiano commendatur curiositas, ut ipse probe perspiciat, quomodo vertatur. *L. 3. §. 2. ff. b. t.* Ex quo facile patet, otiosam esse illam formulam, quæ obligationibus hodie communiter inseritur: *Er begehre sich hiemit der exception des nicht gezahlten und nicht in seinen Nutzen verwendeten Geldes*; dum enim obligationis instrumentum concipitur, & hæc renunciatio exceptionis de in rem verso inseritur, pecunia nondum est numerata, quomodo itaque jam versa dici potest?

§. VI. Cum autem in jure nostro dicatur, actionem de in rem verso cessare, si illud quod versum est, non duret versum *L. 10. §. 6. ff. b. t.* e. g. si pater illud, quod versum est, filio vertenti restituerit, e. g. Si tantam pecuniam filio remisit, ut creditori, qui in rem patris crediderat, satisfaceret, modo bona fide, & non filio perdituro pecuniam remisit *per d. L. 10. §. 6. ff. b. t.* merito dubitatur, an etiam in foro nostro pa-

Versionis re.
nunciatio
non valet.

Quid si pater
filio pecuniam versam
remiserit.

ter hoc ipsoliberetur? Sane non infrequentes sunt illæ exceptiones, etiam in ipsis Academiis, ubi parentes conventi de residuo pro convictu, pro museo, pro Collegiis &c. excipere solent: Se tantum pecuniæ filio annuatim subministrasse, ut hæc omnia abunde potuerit solvere, & sic cessare versionem in sui utilitatem. Certe si pater prodigalitatem filii noverit, & tamen ipsi pecuniam creditoribus solvendam commiserit, ipse in culpa est, quod in detrimentum creditoris filio perdituro, transmiserit pecuniam, ut hinc tali casu de dolo teneatur pater *d. L. 10, §. 6. ff. b. t.* Sed si forte pater ignoraverit, filium in Academia pecuniam male consumere, & ita bona fide ipsi eandem pro creditis necessariis exsolvendam transmiserit, an tunc se liberare possit, exceptione cessantis versionis? Et non puto, quia enim solutio hujus æris alieni necessarii ipsi patri incumbit, & illi, qui hæc subsidia filio subministrant, non hujus, sed patris fidem sequuntur, & ita revera patris negotium gerunt, hinc patrem directo obligatum habent; quare consultius agunt tales Creditores, quo hoc dubium evitent, ut non actione de in rem verso, sed negotiorum gestororum contra patrem experiantur, quo casu ipsum non liberabit exceptio pecuniæ sufficientis filio transmissæ. Et sic iterum hic aderit casus, ubi una ex dictis actionibus altera pinguior est.

TIT. IV.

QVOD JUSSU.

§. I.

De usu hujus
actionis,

Hæc actio præsupponit jussum Domini vel patris, quomodocunque declaratum *L. 1. §. 4. b. t.* & ad filium

filium vel servum directum; Nam si ad extraneum dirigatur jussus creditori, competit actio mandati contraria *l. 8. C. mand.* Quæ actio quoad filios etiam hodie utilis est, si jussu patris filius in rem propriam contraxit; estque utilior prioribus actionibus, quoties enim jussus patris probari potest, non attenditur quantitas peculii aut versio in rem patris, sed pater simpliciter ex jussu obligatur, quia ipse contraxisse videtur *L. 1. §. 1. h. §. 1. f. quid cum eo qui in al. pot. est.* præterea quoque extenditur hæc actio, ut etiam detur illis, qui cum libero homine alterius negotia gerente jussu Domini negotiorum contraxere *L. 7. §. 1. C. quod cum eo qui in al.* ex quo recte concludit Hahn *ad W. b. t. inf.* hodie summam hujus actionis utilitatem esse, quoties jussu quid gestum in tertii emolumentum, veluti si uxor contrahat jussu mariti, discipulus ex jussu Præceptoris, subditus ex mandato Magistratus, miles ex mandato Capitanei, Struv. *in Dec. & Sabbat. c. 30. Dec. 2. Gratian. 1. Discept. 107. Brunnem. ad l. 1. ff. b. t. n. 8.*

§. II. Sed cur non hoc casu actio mandati sufficit? Communiter hanc differentiam statuunt jussum cum aliquo imperio conjunctum esse *L. 25. §. 4. ff. de Acquirend. hered.* Dirigitur enim ad filium, qui patri parere necessum habet: Mandatum vero ad alium, cui liberum est illud suscipere vel recusare *§. 10. Inst. Mandati.* Sed vera differentia hæc est, quod mandatum dirigatur ad illum, qui pecuniam credere debet, qui, si postea pecuniam repetat, omnino actionem mandati contra patrem habet: Jussus autem dirigitur ad filium, ubi pater filio committit, ut a persona qualicumque, ostenso jussu patris, mutuam accipiat, E. G. *Der Sohn soll sich bemühen von jemand / wo er kan*

De diversitate actionis quod jussu & mandati.

100. thlr. auf seinen des Vatern Credit aufzunehmen. Hoc casu cum creditor nullum negotium cum patre gesserit, & forsan pater ipsius personam ignoret, non poterit directo contra patrem agere, sed ut constet ex negotio cum filio gesto creditorem agere, actio *mutui quod jussu*, vel si alius contractus intercesserit, actio *venditi, locati, commodati, quod jussu*, instituenda, cum mentio jussus hic qualificet actionem principalem contra patrem. Nec resistit *L. 1. §. 1. & 2. ff. b. t.* quando dicitur: *Si mandaverit pater, dominusve, videtur jussisse*, ex quo dicendum viderur, jussum & mandatum revera coincidere. Verum hæc comparatio eatenustantum admittenda, ut pater tam ex jussu, quam mandato simpliciter teneatur, si ve filius illam pecuniam malè si ve bene consumserit. Non vero actio mandati, & quod jussu eapropter confunduntur, quia interveniente mandato directo contra patrem agitur; Insuper actio mandati est bonæ fidei, & sic usuræ debeat ex tempore moræ *L. 32. ff. de Usur.* quod non ita est, si jussu patris mutuum acceptum, actio enim mutui quod jussu est stricti juris: Quamvis in Praxi Germaniæ ultima illa differentia de usuris non attendatur, ob *Rec. Imp. de de 10. 1600. §. so viel nun.*

Quid si pater
fidejusserit
pro filio;

§. III. Quod si pater pro filio fidejussit, qui in rem propriam contraxit, negat Ulpianus in *L. 1. §. 5. b. t.* ex hac fidejussione posse jussum deduci, & sic nec huic actioni locum esse, quasi pater hic ut extraneus intervenerit, conf. *L. 5. §. f. de lib. leg.* Verum hic occurrere subtilitatem meram juris, recte monet Bruneman, ad *L. 1. in f. b. t.* Dum enim fidejussit, utique approbavit, & quia concedit ICTUS, quod rati habitio subsequens jussum faciat *L. 1. §. 6. b.* certe non potest ostendi

stendi accuratum discrimen inter ratihabitionem simplicem & approbationem hanc, quæ fit fidejubendo. Urget quidem Schilter *Ex. 27. §. 112.* quod pater fidejubendo tantum teneatur peculiotenus, non infolidum; ex jussu contra infolidum; nam nec hæc differentia ostendi potest, quod si vel maxime subtilitatem Icto sequamur, tamen & sic pater infolidum obligatus erit, quia fidejussor ad idem obligatur, ad quod debitor, jam vero filius infolidum ex suo contractu, non peculiotenus obligatur: quod multo magis asserendum est, si cum Icto dicamus, patrem quasi extraneum fidejussisse, nam sic quoque ut extraneus obligatur pro filio infolidum. Unde non dubium, quin hodie hoc casu secundum sententiam Brunnemanni æque actione quod jussu infolidum contra patrem agi possit, ac si pater contractum filii subscriptione ratihabuisse *L. 1. §. 4. b. t.*

LIBER XVI.

TIT. I.

AD SCTUM VELLEJANUM.

§. 1.

Subvenitur hoc SCTo foeminis pro aliis intercedentibus, ne ex intercessione sua efficaciter conveniri possint *l. 2 §. 1. b. & si præmia intercessione solverint, ut conditione indebiti solutum condicere possint l. 40. pr. b. quoniam Senatus totum improbavit obligationem L. 15. inf. b. t. quæ dispositio*

D cum

cum singulari æquitate, ne mulier ex imbecillitate se-
xus decipiatur, nitatur, merito quoque in praxi re-
cepta, & hæc ita notoria est, ut de ea dubitare non liceat.
Quæ enim a Cypriano Regnero in *sua censura*, contra
hanc SCti æquitatem adducuntur, non tanti sunt mo-
menti, ut in praxi propterea ab illo recedendum sit.
vid. Struv. *Decis. Sabbath. c. 12. Decis. 29.* Unde & Grœ-
nevveg. in *C. b. t. ad rubr.* hoc SCtum moribus
obtinere non diffitetur, addens tamen, in Gallia edicto
Regio hunc titulum esse abrogatum.

Olim in Ger-
mania igno-
rum fuit SC.

§. II. Non tamen generaliter asseri potest, pra-
xin SCti Vellej. ubique in Germania æqualem esse.
Nam ante receptum jus Romanum vix nomen hujus
SCti innotuit, utpote cum nec idem in jure Can. de-
prehendatur, quo jure tamen tunc universa fere Ger-
mania utebatur. Et quamvis negari nequeat, nec tunc
temporis in plerisque locis Germaniæ fidejussionem
mulieribus permissam fuisse; hoc tamen non adscri-
bendum est SCto Vellejano, sed moribus tunc tempo-
ris receptis, ubi foemina sine consensu Curatoris nihil
alienare & sic nec fidejubere poterat, uti hoc adhuc
apparet ex jure Lubecens. *lib. 1. tit. 10. art. 1.* cujus hæc
sunt verba: *Es mag keine Fran ihr Gut verkauffen
noch versehen/ ohn ihrer Vormunder Bollwort/ Wissen
und Willen/ so mag auch keine Frau höher Bürge wer-
den/ ohne Willen der Vormunder/ dann vor drittheil
Pfennig.* Ergo consensu Curatorum in majorem
summam fidejubere potest citra renunciationem SC.
Vellej. Et quamvis jus Saxon. in *Spee. lib. 1. art. 45.* in-
ter foeminas maritatas & solutas distinguat, ut illæ ni-
hil sine mariti vel curatoris consensu alienare possint;
ha

Juris Saxonici
distinctio in-
ter uxores &
virgines.

hae vero Curatorum consensum adhibere non teneantur, si modo majorenes sint: Attamen in specie fidejussio foeminis prohibita non est, sed sub generali prohibitione alienationis comprehenditur; ut hinc existimemus, foeminas solutas, majorenes tamen, olim in Saxonia ex fidejussione firmiter obligatas fuisse sine ulla renunciatione muliebrium jurium, cum generalem licentiam alienandi ex illo jure habuerint. Quapropter praxis Saxonica hodierna circa usum S^Cti Vellej. ex jure peregrino, scil. Romano petenda, quod cum voluntarie receptum sit, non dubito S^Ctum Vellej. iterum tolli, & fidejubendi licentiam foeminis restitui posse.

Exemplum
abrogati S^C
Vellej.

§. III. Exemplum hujus rei nuper apparuit ex Actis ex civitate Goslariensi huc transmissis, ubi cum uxor ob intercessionem pro marito conventa, exciperet, se Vellejano plane non renunciassse, multo minus praevia certificatione & juramento; Replicabatur ab actore, vi Statuti ante seculum conditi foeminis vel uxoris hoc beneficium ademtum esse, & ad illarum validam obligationem sufficere, modo sciverint maritum a se alienum contraxisse, & uxores tacuerint (multo magis ergo si expresse fidejusserint) vel si simul commodum ex illo mutuo perceperint, Statuti verba de 10. 1581. die 6. Junii sunt sequentia: Wir Bürgermeister und Rath der Reichs-Stadt Nordhausen / fügen allen Unsern Bürgern, Einwohnern und ingemein jedermänniglichen zu wissen / ob wohl eine Zeithero allhier die Weiber ihrer zugebrachten heyrathlichen und anderer Güter halber in ihrer Männer Haab und Gütern alle demselben / die keine ausdrückliche Verpfändung gehabt / vorgezogen worden / inmassen nicht allein solche / sondern auch andere mehrere

D 2

Vor

Vortheile in denen allgemeinen beschriebenen Rechten de-
 nen Weibern zu gute verordnet seyn; So befinden doch
 im Wercke/ daß solches in einen mercklichen Mißbrauch
 kommen/ und nicht allein auswärtigen/ sondern auch un-
 sern Bürgern und Unterthanen selbst grossen Schaden zu-
 gefüget hat/ indem dieselbe fast sehr hiedurch abgehalten
 worden/ einander mit Gelde oder sonsten behüßlich zu
 seyn/ oder ander Gewerbe und Handthierung mit einan-
 der zu treiben/ daraus denn weiter zu besorgen/ daß um
 solches bey frembden und Einheimischen/ Eingekessenen
 Mißtrauens willen die Bürgerliche Nahrung in Abfall und
 Hinderung gerathen möge/ darum wir aus gedrungener
 Noth/ damit solchem wissentlichen Abgange/ auch allerhand
 beschwert. Nachreden/ so hierauf zu erfolgen pflegen/ so
 viel möglichen entgegen gebauet/ und die gemeine com-
 mercien auch Handel und Wandel/ und folgend die Bür-
 gerliche Nahrung in und bey dieser Köblichen Stadt er-
 halten/ und befördert werden möchten/ mit denen Herren
